

PIIS MANIBUS

*Generosi atque Magnifici Domini.*

DOMINI

GEORGII Schmieden

von Schmiedenbach /

Præ-Consulis Senioris & de Republ. Thorun.  
optime meriti,

Anno 1629. d. 30. Martii nati,

Anno 1697. die II. Octobr. post 7. matut. inter pia suspiria  
precesque adstantium denati,  
ac die 17. ejusd. mens. avito sepulchro  
solenniter illati,

Monumentum doloris

erigere voluit

GEORGIUS HENRICUS CZIMMERMANN, Thorun  
B. Dn. Præ-Consulis ex Sorore Nepos.



THORUNII,

Imprimebat Johannes Balthasar Breslerus.



**S**i mihi tot voces, qvot dantur gramina campi  
Suppetent; sterilis mutaq; Musa foret.  
Si mibi Pierios latices gustare liceret,  
In vacuos ferrem moesta theatra modos.  
Si vel Virgilius mibi carmina scriberet ipse,  
Non tamen exprimeret tristia fata bene.  
Qvot facies diræ, qvot monstra tremenda per orbem  
Incutiunt nostro multa pericla solo.  
Tam ratio rerum confusa ac horrida nunc est,  
Seu fora, seu thalamos, templave sancta vides,  
Infaustum terris, scelerata licentia, nomen  
Imperium toto fixit in orbe suum.  
Si sublime nihil, si nulla abstrusa crepabis,  
Indocti stolidum te simul esse putant.  
Ast hæc quid memoro? opus his qvid tristia fanti?  
Quæ vires nostras contumulare volunt.  
Plurima dependent a justo Numinе fata,  
Quæ nos infaustos collaq; nostra premant;

Hæc

Hæc tamen extirpet cœlestis gratia Patris,  
Nec velit, ut nobis maxima damna creent.  
Quando domus misera & princeps collapsa columna est,  
Collabi cupiunt cætera membra domus.  
Ne tamen hoc nostræ contingat (deprecor) urbi,  
Quam Deus auxilio præsidioq<sub>z</sub> tegat.  
At quem nos flemus, cui nos monumenta paramus,  
E SCHMIDII claro sanguine natus erat.  
Publica consiliis qui commoda juvit honestis,  
Quemq<sub>z</sub> sitis levium nulla subegit opum.  
Nec opes deerant, vel honos, vel cætera dona,  
Dona, quibus virtus inclita sèpe viret.  
Præ-Consul magnus, justus, pius atq<sub>z</sub> fidelis  
E statione sua morte peremptus abit.  
Flos ævi heu! cecidit, sed odor se fundit in auras,  
Nunc quoq<sub>z</sub> virtutum non periturus odor.  
Sunt hi privati publicis cum questibus actus,  
Et resonat nostros mœsta querela Lares.  
Sed quid opus nimio luctu nimiusq<sub>z</sub> querelis?  
Non revoco gemitu funera mœsta meo.  
Hic vitæ in stadio scopus est, hæc meta laborum,  
Quisquis ad hanc cursum dirigit, ille sapit.  
Omnes ad metam miseri properamus ad unam,  
Ac cunctos tandem nos manet una dies.  
Et bene: jam puros mundi post nubila Cœlos  
Mens habitans Phœbi clarior igne micat;

Exspe-

Exspectatq; diem, sociæ qua reddit a carni,

Continuet vita gaudia perpetua.

Christum igitur gestet fidenti in pectori, quisquis  
Nobiliore sui vivere parte cupit.

Præ-Consul noster non mortuus; vivit at ille  
In cœlis, terris, pectoribusq; piis.

Interea casus monumentum servet acerbi

His lapis inscriptus, qui tegit ossa, notis:

Hac SCHMIDII Magni corpus dormitat in urna.

Pars melior celli sede recepta poli est.

Mortalis vixit, cadit, immortalis ut esset.

Sanctam animam Christi deposita gremio.

Tu quoq; vive Deo vita melioris amore,

Teq; para, & dicta pace, Viator, abi.

